



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi**

**Latomus, Jacobus**

**Antverpiae, 1587**

De Templo Virtvtis & Honoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Artibus eloquij fallax, maiore nec ullus  
 Nexuerit vafros calliditate dolos.  
 Ergo huius nobis dedit hunc sapientia fructum,  
 Ut luctu finem non faciente premar.  
 Tot siquidem cecidisse bonis, quibus antè fruebar,  
 Méne putas modico posse dolore pati?  
**D**i. Vistibi ut expediam fidi medicamen amici,  
 Quo tua fata modo commodiore leues?  
 Qum nulla his crescant nigris aconita sub antris,  
 Fac de Lethæo largiter amne bibas.  
 Sic tibi Aristoteles fugiet de pectore totus,  
 Nec memorem posthac quod cruciabit, erit.  
 Sed glomerare pedes, celerique accurrere passu  
 Complures, tumidas & dare cerno minas.  
 Inprimis Cliti video, & Callistenis ora,  
 Cumque illis alios, qui tibi saeva parant,  
 Atque vices de te repetunt, pœnasque reposcunt  
 Turpiter illatæ pro ratione necis.  
 Quin fuge, & oppositæ propera succedere ripæ,  
 Et tua Lethæus proluat ora liquor.

DE TEMPLO VIRTUTIS  
 & Honoris.

**N**mina multa sibi sacrauit vana vetustas,  
 Finxit & innumeros non bene sana deos.  
 Nonnulli quorum risumque, iocumque merentur,  
 Sunt, detestari quos quoque iure queas:  
 Sunt quorum laudanda etiam videatur origo,  
 Scilicet hos Virrus inter Honorque fuit:  
 Sacra quibus memorant Marcellum templa dicasse  
 Ditatum spoliis terra Sicana tuis.

Qui

Qui primus docuit victorem Marte superbū  
 Annibalem trepida vertere terga fuga.  
 Illa sed hoc positū perhibent constructā modoque,  
 Atque ita vicinis continuata locis,  
 Alterum ad alterius sua per compendia limen  
 Duceret, atque viæ posset ut esse loco:  
 Nec nisi Virtutis sacrum penetrale subiſſes,  
 Fas tibi tangendi limen Honoris erat.  
 Scilicet ut noscent mortales quisquis honores  
 Posceret, huic virtus ante colenda foret.  
 Quanquam præterita hac multi perrumpere ad illos  
 Contendunt, scutica turba fuganda graui,  
 Sic quoque non pauci Christi ingrediuntur ouile,  
 At non per Christum qui via solus erat.  
 Delitias etiam, atque ignaua per ocia multi  
 Peruia celorum regna futura putant:  
 Qum tamen illa pari vim Christus dicat, & in quæ  
 Non, nisi perpeſsus plurima, fecit iter.

D I O G E N I S E T C A T O N I S D E  
*Furibus, &c. Anacharsis de legibus dicta.*

**C**omprēnsum duci furem quum forte videret  
 Is cui cognomen vita canina dedit,  
 Magnus, ait, paruum rapit in sua vincula furem  
 Sumpturus penas dignior ipse pati.  
 Hæc Cynicus. Magni subscribunt dicta Catonis,  
 Censuræ gestus quem celebrauit hōndis:  
 Priuatas hominum res qui furantur, in arcto  
 Carcere, dicebat, degere more feræ:  
 Publica, qui rapiunt, prædaque implentur opima,  
 Læta etiam sceleris præmia ferre sui.

Pur